



SACRA CONGREGATIO
DE SEMINARIIS
ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

Romae, die 12 m. iunii a.D. 1950

PROT. NUM. 720/48/6

(Hic numerus in responsione referatur)

Excellentissime Domine,

Theologicae istius Catholicae Americae Societatis momentum hoc anno eminet, quo Ecclesia, dum coelestes thesauros volentibus Christi nomine distribuit, simul exspectat, praecipue a Sacra Hierarchia et a Catholico Sacerdotio, maioris argumenta zeli apostolici et laboris, quos, eximia testimonia caritatis, Christo Redemptoris offerat.

Desideratus igitur advenit QUINTUS ANNUUS CONGRESSUS Societatis istius, quae, brevi activitatis suae tempore, sat amplis iam meritis decoratur. Ipsa enim optimorum Americae theologorum cunctis nisus, ad catholicam doctrinam adstruendam et vulgandam; per periodicum "Proceedings of the Catholic Theological Society of America" insignia adiumenta praebet, praeter ceteros, ipsis Seminariorum Professoribus et alumnis; per praemium "The Cardinal Spellman Theological Award", ab eodem Em.mo Patre Purpurato munifice praestitutum, aemulationem incendit ad utilia edenda opera theologica; per nexum tandem, quo Washingtonensi religatur Catholicae Americae Universitati, provida Societas ista latius pandit genuinum lumen ab illustri Athenaeo abunde effusum.

Merito ideo gratulamur Tibi in primis, Exc.me Domine, quo auspiciente Societas ista quinta congregatur vice, Em.mis deinde S.R.E. Cardinalibus Spellman et Stritch, actuosis eiusdem promotoribus, necnon claro Societatis Praeside singulisque Sociis, et cunctis demum utcumque Congressui isti fauste adstantibus.

At, si probos fructus hucusque collectos cernimus, legitima spes affulget absque dubio optimos in futurum collectum iri. Liceat, ad hoc quod attinet, ab Excellentia Tua Rev.ma petere ut omnibus Congressus

Exc.mo ac Rev.mo Domino
D.PATRICIO ALOISIO O'BOYLE
Archiepiscopo
- WASHINGTONENSI -

Vall.

Participantibus humane significes, Sacram hanc Congregationem, ex
alacri continua ipsorum collaboratione, expectare ut Theologica
Societas fidelem tutamque doctrinam semper propaget, tum vivificae
Petri Sedi adhaerens, quae divinitus "veritatis custos" constituta
manet, tum viam eligens quae antiquam indeficientem veritatem, no-
vis scientiae subsidiis illustratam, congruenter porrigat.

Firma hac spe suffulti, votis ac omnibus Congressus labores
comitamus, enixis precibus supernam Benedictionem flagitantes, quae
orituros fructus reddat uberes ac diuturnos.

Summa qua par est observantia, dum Tibi fausta quaeque ominor
atque obsequentis animi sensus promo, toto corde manere laetor

Excellentiae Tuae Reverendissimae
in Ch.J. addictissimus

J. Gard Pizzardo

+ *C. Confalonieri*
a. sec.